



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

9. S. Gregorius Nazianzenus Episcopus, & Doctor

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

tissimè offendimus Angelorum oculos,  
 & in satisfactionem omnia exercitia  
 religiosa peragamus proximâ die clausis  
 oculis, & in fine diei subjungamus Psal-  
 lum: *Laudate Dominum de cœlis!*  
*laudate eum in excelsis!* Deprecatio hu-  
 milis potens est in Dei, & cœlitum  
 oculis.

## Festum S. Gregorii Nazianzeni

Episcopi, & Doctoris in Ecclesia Sa-  
 pientissimi, Excellentissimi.

### EXHORTATIUNCULA I.

**F**illi! ubi vera sapientia? In vanis sci-  
 entiis? Non ita. En! has ambit S.  
 Gregorius, & dum ad eas acquireendas  
 proficiscitur Athenas, vix non naufra-  
 giò periiit. Vera scientia, & solida inve-  
 nitur in contemptu sæculi, & amore Dei.  
 Ubi nos quærimus?

### Instructio meritoria.

Omnia hodierna studia, ut serviant  
 animæ pro Dei gloria, inchoemus ab  
 invocatione SSS. Trinitatis, præmitten-  
 dō tria Pater & Ave cum totidem Glo-  
 ria Patri &c. & oratiuncula: *Actiones*

346 IX. Maii. S. Gregorii Naz.  
nostras quæsumus &c. à Jove princi-  
pium!

II.

**E**cclesiæ, & populo proficit pluri-  
mùm tantus Doctor. Quomodo?  
insigni vitæ suæ exemplo. Hoc solo  
& malos terruit, & bonos ad virtutis  
animavit studium. Fili! quid pravis  
exemplis nobis accendimus flamas  
purgatorii? Unicò exemplō malō  
quot offendimus? Deum! proximum!  
nos ipsos!

*Instructio meritoria.*

Scandala si quæ data, ut deleamus,  
futura verò præveniamus, ad omnes  
Sanctos clamemus, recitandò *lytanias*  
*Majores*, & pro tessera diurna januis,  
vel pulpitis affigamus illud S. Pauli mo-  
nitum: *In omnibus te ipsum præbe exem-*  
*plum bonorum operum; in doctrina, in*  
*integritate, in gravitate, verbum sa-*  
*nūm &c. Lege, & sic vive.*

III.

**R**Ara avis constans amicus! talem  
S. Gregorius quæsivit, invenitque  
in S. Basilio, cum quo non nisi æterna  
tra-



XVI. Maji. S. Joannis Nepomuceni. 347

tractavit, & immortalia. Fili ! ubi  
vel quales amici nostri ? utinam in cœ-  
lo ! utinam & in Divo Gregorio ! eliga-  
tur hodie ; quia magnus coram Deo in-  
tercessor, & consolator animæ. In mun-  
do si quæramus, haud inveniemus.

## *Instructio meritoria.*

Ut omnes S. Ecclesiæ Doctores nobis  
lucremur in amicos pietatis, & Divinæ  
sapientiæ, hodie eis offeramus duode-  
cim actus abnegationis proprii judicii  
cum officio de *Spiritu Sancto*. Accedi-  
te, & illuminamini!

Festum Sanctissimi & Glorio-  
sissimi Triumphatoris S. Joannis Ne-  
pomuceni Protectoris bonæ  
Famæ Prodigiosi.

## EXHORTATIUNCULA I.

**F**illi! spes non confundit! ut quid tristis est anima nostra, dum nomine, vel famâ patimur gravissima? clamemus ad Deum! clamemus ad Mariam! clamemus ad Sanctos, quos inter gloriosè triumphat S. Joannes Nepomucenus,